



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Examen Confessariorum Repetitum

Schoonaerts, Gregor

Coloniæ Agrippinæ

VD18 14542323-001

Caput III. De luxuria, ejusque speciebus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41226

8. Licet speculativè loquendo opposita plausibiliter defendi queat, attamen affirmativa pro praxi est tenenda. Unde in Confessione delectationis morosæ de copula illicita, etiam est exprimenda persona, quæ fuit animo proposita, V. G. an persona concupita fuerit conjugata &c. delectatio enim desumit malitiam ab objecto.
9. An concupiscentia motus involuntarii, sive quos homo patitur invitus, sint peccata?
11. Neg. Peccatum enim debet esse voluntarium, ut si voluntarium non sit, nullo modo peccatum sit.
10. An graviter peccet, qui de peccato mortali, olim patrato, gloriatur?
12. Aff. Si nempe in tali peccato sibi complaceat, vel alios tali jactantiâ ad simile peccatum pertrahere intendat, vel famam personæ tertię graviter lædat.

CAPUT III.

De Luxuria, ejusque speciebus.

Luxuria est appetitus inordinatus libidinosa, & carnalis voluptatis. Ex genere suo est peccatum mortale; Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur, ad Gal. 5.

Species ejus sunt sex: Fornicatio, adulterium, incestus, stuprum, raptus, & vitium contra naturam.

Fornicatio est copula illicita soluti cum soluta.
Ad-

Advertite, quòd non solùm debeant esse soluti Matrimonio, sed etiam à cognatione, ordine sacro, voto &c. si enim alteruter aliquo horum sit ligatus, alia gravior species confurgit.

Stuprum est, violatio virginitatis injuriosa. Raptus, abductio personæ renitentis causâ libidinis. Adulterium, alieni thori violatio. Incestus, congressus cum consanguinea, vel affine usque ad 4. gradum. Vitium contra naturam, coitus contra naturam exercitus. Natura autem exigit, ut possit concipi proles, adeoque sit conjunctio duorum diversi sexûs, fiat modo, & in vase debito.

Hoc dividitur in *Sodomiam, pollutionem, & bestialitatem. Sodomia est, coitus libidinosus in vase à natura ad generationem non ordinato. Bestialitas est, coitus hominis cum bruto. Pollutio seu mollities est, libidinosus seminis effusio extra vas naturale.*

§. I. De Osculis, & tactibus.

NOtandum, osculum fieri posse tripliciter. 1. In signum amicitie. 2. Causâ delectationis concubitûs. 3. Causâ delectationis osculi, secundùm se considerati, ut delectabilis carni. Contactus etiam partis verendæ potest fieri totidem modis: 1. Causâ medicandi, vel aliâ necessariâ. 2. Causâ voluptatis concubitûs. 3. Causâ voluptatis illius contactûs secundùm se spectati. 1. Osculum causâ amicitie, secundùm consuetudinem patriæ, per se est licitum, similiter & delectatio inde consequens. Patet ex Scripturis,

ris,

ris, & usu generis humani. Ratio est, quia hoc nihil aliud est, quàm testificari signo externo benevolentiam, & unionem animorum (cujus osculum est symbolum) fundatam in conjunctione sanguinis, vel professionis. *Salutate fratres in osculo sancto.* 1 ad Thessal. 5. Habenda tamen est ratio decentiæ, & cavendum scandalum.

2. Si fiat causâ delectationis concubitûs extra matrimonium, sunt peccata mortalia, & spectant ad illius peccati speciem, cujus sunt præambula. Eadem est ratio de aspectibus, alloquiis causâ talis delectationis adhibitis, juxta illud Christi apud Matt. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchæus est in corde suo.*
3. Difficultas major est, an osculum, quatenus est delectabile carni, absque ulterioris voluptatis intentione, absque omni inordinata corporis commotione, quâ spiritus ad disseminationem componantur, sit peccatum mortale?
32. Alii affirmant, ut Cajetanus 2. 2. q. 154. ar. 4. Sanchez lib. 9. de Mat. disp. 46. Lessius lib. 4. cap. 3. dub. 8. n. 59. aliique viri docti. Ratio illorum est, quia oscula, prout delectabilia secundum sensum tactûs, sunt naturaliter ordinata ad copulam carnalem, imò sunt signa ejus, sive instantis, sive præteritæ &c.

Alii negant, & plurimi. Ratio eorum est, quòd, licet illa oscula ordinentur ad naturalem copulam, tamen valdè remotè, sicut valdè

remotè litigium ordinatur ad actum homicidii, &c. Pro praxi tamen ob annexum, in re tam lubrica, consensûs periculum, inter leviora peccata simile osculum non est numerandum.

Nec est paritas inter litigium, & osculum, quia actus homicidii, ad quem disponit litigium, non allicit corruptam naturam &c.

Nunc agendum de tactibus.

1. Tactus non omninò turpes, & impudici, sed honesti in aliqua parte honesta corporis ex vanitate, joco, vel alia simili causa facti, non videntur nisi venialia. Suppone non adesse scandalum, nec ullum consensûs periculum in delectationem veneream. Quia hujusmodi tactus non sunt mali secundùm se, sed ex sua causa, causa autem joci &c. non est adeò turpis, ut queat in mortale reputari.
2. Contactus partium verendarum, si fiat causâ medicandi, vel aliâ, quæ censetur necessaria, aut justa, nullum est peccatum: talis enim contactus rectæ rationi est consentaneus.

Nota tamen, mulieres, præsertim virgines, non teneri ejusmodi genus medicandi in locis secretioribus admittere: quia nemo tenetur admittere curationem, à qua non minùs abhorret, quàm ab ipso morbo, vel morte; at multæ virgines pudicæ malunt tolerare morbum, vel mortem, quàm à viris contingi. Ita Navarrus cap. *si cui.* num. 13.

Quæres, quid sit resolvendum de tactibus inter conjugatos, & sponsos?

D

R. 1.

R. 1. Si inter eos exercentur, ut necessarii ad naturam excitandam debiti reddendi gratiâ, ac prolis generandæ, nullum peccatum continent.

R. 2. Si tactus illi fiant sine ordine ad copulam, sed in illis sistatur, tunc vel fiunt cum periculo pollutionis in utroque, vel in altero conjugè, & sic constat esse mortalia. Idem iudicia de delectationibus viduæ de copula præterita, virginis sponsæ de futura.

Contactus autem conjugum solius voluptatis causâ exerciti absente morali periculo, non videntur esse, nisi venialia; quia in non conjugatis sunt mortifera, eò quòd concubitus, ad quem naturâ suâ ordinant, in his est peccatum mortale; contrâ ergò sicut concubitus conjugum solius voluptatis causâ non est peccatum mortale, ita neque impudici huiusmodi contactus.

Quod attinet ad sponfos, his non magis sunt liciti amplexus, tactus impudici, quàm quibuscumque liberis.

§ 2. De aspectu, cantilenis, & ornatu.

R. 1. **A**spicere personam alterius sexûs in parte honesta, delectando de ejus pulchritudine, non est peccatum, aliquando nec veniale. Potest tamen esse ratione periculi, maximè si sit diuturnus, V. G. circa fœminam pulchram; nam aspectus facit, ut phantasia apprehendat rem illam, non solùm ut delectabilem visui, sed

sed etiam ut delectabilem tactui, & carni, ex qua imaginatione sequitur in affectu complacentia, in spiritibus commotio, in membris rebellio. Itaque curiosi aspectus sunt valde vitandi, nam multi ex illis sunt lapsi in gravia peccata. Admiscet se plerumque diabolus, & facit, ut species visa assidue obversetur phantasie, quæ sensim affectum allicit, & naturam commovet. *Nequius oculo quid creatum est? Eccl. 31. Quapropter pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne quidem cogitarem de virgine. Job. 31.*

2. Aspicere absque necessitate partes secretiores, vel in se, vel in aliis, grave peccatum censetur, nisi levitas &c. excuset; quia hoc valde honestati naturali adversatur, adeò, ut primæ parentes, cum essent conjugii vinculo inter se conjuncti, erubuerint se nudos aspicientes, & propterea fecerunt sibi perizomata, Gen. 3.

A fortiori arguendi sunt abominandi isti aspectus, qui fiunt ex mortificatione, ut dicunt, & de quibus agit S. Anton. 1. p. tit. 5. cap. 1. §. 3. qui sub specie mortificationis fœminam coram se nudari faciebant. Vah brutale hominum genus!

3. Aspicere concubitum viri cum fœmina, etiam ex sola curiositate, culpa gravis est; quia hic aspectus excitat ad libidinem, & res venereas.
4. Puella, quæ se præbet conspiciendam adolescenti, à quo credit turpiter se aspiciendam, mortaliter peccat peccato scandali, quando datâ operâ se præbet illius conspectui absque

ulla necessitate, sed potiùs ex quadam vanitate, non ignorans turpem illius amorem.

5. Et generaliter: qui sentit se sæpè lapsum in peccatum mortale ex intuitu hujus, vel istius mulieris, sub culpa gravi à curiosis aspectibus abstinere tenetur. Qui affectu libidinoso, ut dum invicem ad libidinem fixis inflammant aspectibus, foeminã aspicit, graviter delinquit.

Quid censendum de turpiloquio, cantilenis?

1. Loqui turpia, & lasciva, ea scribere &c. cum intentione seipsum, aut alium excitandi ad opus carnale, vel cum animo se oblectandi rebus ipsis turpibus, quæ narrantur, & imaginationi objiciuntur, vel cum periculo alicujus similis delectationis veneræ extra matrimonium, regulariter est peccatum mortale.

Dicitur *extra matrimonium*, quia si conjuges loquantur inter se de illis operibus, quæ sibi licent, aut de quibusdam aliis, quas absque peccato mortali possunt, non peccabunt mortaliter, modò absit omne periculum pollutionis; caveant tamen coram parvulis de his loqui. Improbandus etiam mos quorundam, qui cum prole, cui rationis incipit præluere aurora, eodem lecto decumbunt.

2. Qui turpia audiunt, vel cantilenas ex quadam curiositate, ridentque reverà vel ob artificiosum, seu lepidum dicendi modum, & non ob ipsa turpia, non peccant nisi venialiter, modò per suum risum nulli scandalum generent, neque videantur auctoritatem præstare verbis

bis turpibus, aut ea cohonestare, neque velint testari, quòd talibus oblectentur.

3. Peccant mortaliter 1. qui cantilenas graviter obscœnas componunt. 2. Qui cantant, præcipuè coram aliis, cum hoc vix fieri possit sine delectatione, vel consensûs periculo. Caveant insuper scandalizare parvulos, quia tunc præter turpiloquium, reperitur peccatû scandalii.

Peccant quoque mortaliter pictores, & artifices, qui pingunt, vel fingunt picturas, aut statuas inhonestas.

Quid dicendum de lascivo quorundam ornatu?

4. Peccant mortaliter puellæ lascivè se ornantes, ut faciunt, quæ mediâ ex parte nuda ostentant ubera, aut solùm transparenti obtegunt materiâ, quia membra ad libidinem inflammantia aliorum aspectui voluntariè objiciunt. Hinc Tertull. de velandis Virg. *Oro te, sive mater, sive soror, sive filia, secundum annorum nomina dixerim, vela caput. Si mater, propter filios; si soror, propter fratres; si filia, propter patres; omnes in te etates periclitantur.*

C O R O L L A R I U M

*De Tripudiis modernis, & forensibus
Conventiculis.*

Naturam tripudiorum optimè delineat, quisquis ea dixerit: *Conventus personarum utriusque sexûs, maximè juniorum, ubi ad sonum cujusdam instrumenti, vel cantionis per intervalla adolescen-*

§4 TRACTATUS DE PECCATIS.

*lescentes cum puellis saltitant, & saltum inter-
polantes mutuâ conversatione intertenentur, & sese
oblectant.* Hosce conventus, si rusticani sunt,
Labayen appellant. S. Augustinus lugendas læ-
tities vocat: hæc descriptio cuilibet christiano
ingerit chorearum ideam, ut rei periculo ple-
nissimæ, & in sexcenta peccata pertrahere natæ,
adeoque omnibus ordinariè sub peccato prohi-
bitæ, & prorsus fugiendæ. Constat ex definitione.

Conveniunt persona utriusque sexûs: hûc facit
quidquid de conversatione nimium familiari
personarum imparis sexûs aut S. Scriptura do-
cuit, aut PP. tradiderunt, aut experientia resta-
tur. Et quidem *maximè juniores*, in qua natura
quodammodo ebullit omnis generis cupiditates,
& minus est consilii, ac providentiæ. Adde,
quod chorearum sociæ comptæ, & ornatae, &
aliæ lascivo suo ornatu & denudatione castissi-
mos quosque labefactent: aliæ alios decore &
gratiâ attrahant: aliæ blanditiis, & sermone scitè
compositis aliquos subvertant; neque enim
omnia in omnibus reperiri dixerò.

Ad sonitum instrumenti, vel cantionis: notum
est, quod sicut obscenæ imagines, & libri amato-
rii animum corrumpunt, ita & cantilenæ, & in-
strumenta tripudiantium aures permulcendo,
flammantia tela in audientium immittunt corda,

Adolescentes cum puellis saltitant. Ad plures
concupiscentiarum illecebras, quæ ab his con-
ventibus separari nequeunt. Accedit, quod mu-
lierculæ ad numeros saltare doctæ adolescen-
tium

tium animos movere, & in sui amorem saltitatione soleant illicere: deinde varii corporis motus, membrorum gesticulationes, accessus ad invicem, manuum contrectatio, & his similia, universa tam studiosè videntur composita, ut lenocinantium in morem libidinis ignem inflamment. Ut taceam oscula, tactus, & sexcentas ineptias &c. neque enim cum pedes à tripudiando cessant, malum tripudiantium cessare existimandum est, quia

Saltum interpolantes mutuâ conversatione sese oblectant. Multa sunt, & plurima, quæ in ista conversatione occurrunt, & malum, ac pericula non mediocriter augent. Si choreæ noctu celebrentur, vel in multam vesperam protrahantur, quis non videat, quantum tenebræ, & loca secretiora proritant protervam libidinem? Minora dicam: Colloquia miscent (nota præfatas ætatis, sexûs, &c. circumstantias) invicem assident, student ineundæ gratiæ, subindè cantillant ad aurem, condicunt sæpè locum, & tempus se mutuò revisendi, familiaritatem aucupantur, & fovent. Hisce non rarò pro coronide accedit, quòd adolescens intempestâ sæpè nocte ad ædes maternas reducat filiam. Credisne hîc malorum finem?

An igitur omnia tripudia & choreæ illicitæ?

Nequaquam: hoc enim aliquando honestum & laudabile est. Ut autem chorea licitè fiat, requiritur 1. Ut fiat chorus inter personas competentes, cum religiosi, & viri Ecclesiastici ob

scandalum jure communi ab hoc prohibeantur.

2. Ut omnis gesticulatio evitetur libidinosa.
3. Ut sit intentio solius recreationis honestæ.
4. Ne, qui se fragilem sentit, iis se immisceat.

Rogo modò animos non præoccupatos, an promiscuè tales conditiones adsint? Quàm sæpè similes conventiones non sunt mutux libidinis fornaces, & luxuriæ scholæ, in quibus & ipsa præsidet, prodigalitas assidet, gula ancillatur.

De Conventiculis forensibus.

Sunt in multis Belgii, & vicinis pagorum locis alia conventicula juvenum, & puellarum, quos carnalis passio ob rusticalem genium maxime excæcat, quibus ob similia peccata, & peccatorum pericula Illustrissimi Belgii episcopi interdixerunt. Uno loco juvenes tempore hyberno ad fallendum horas vespertinas, ruri potissimum, visitant filias, vel ancillas alicujus domûs, ad quam & vicinæ ordinariè accedunt, & his nentibus, suentibus, aut quid aliud agentibus assident, confabulantur, cantant. Mille exercentur ineptiæ, scurrilitates effutiuntur, oscula, statâ quidem lege frequentantur. In discessu extinguuntur luminaria, quæ & quanta! Alio loco nunc filix juvenes, nunc filias ipsi in ædibus propriis quærunt, & ad cauponas, vulgò *ad cerevisiam* abducunt, & post multas horas in potu, & peccatis consumptas, serâ nocte domum reducunt. Horrendum, quanta in ejusmodi conventiculis flagitia committi & pastores fide dignis

'dignissimi testantur, & nos, qui aliquando vidimus, acerbissimè dolemus!

CASUS I.

Quid agendum cum pœnitente, qui diceret simpliciter, habui inhonestas cogitationes?

R. Petendum 1. An fuerit in causa, quòd illas turpes cogitationes habuerit, vel quia nimis liberè conversatur cum personis alterius sexûs, vel se immiscet sodalium consortio historias obscœnas narrantium, vel eas in libro lectitat? 2. Quod si ita: quoties habuerit? 3. An neglexerit illas expellere? 4. An iis morosè non fuerit delectatus? Si ita: 5. An non consenserit in opus externum? 6. Quale fuerit subjectum, in cuius amplexû consenserit? An fuerit persona conjugata, an sacra? 7. An ex illa delectatione non processerit ad turpes sui, vel alterius tactus? Si pœnitens sit ignotus, inquire statum, an sit conjugatus &c.

CASUS II.

Pœnitens aliquis apprehenditur similia frequentare consortia, ubi à Confessario proponuntur pericula; asserit se in eiusmodi occasionibus rarò deliquisse. Quaritur, an Confessarius prudenter permittat, ut pergat iis interesse?

R. Neutiquam: 1. Quia alios ad easdem occasiones, in quibus forsan peccabunt, allicit; vel, ut in eadem permaneant, confirmat. 2. Quia pœnitens fortè aliis est occasio, vel objectum peccati. 3. Quia, quamvis gratiâ Dei hæctenus steterit, ubi alii ceciderunt, timere meritò potest, ne & ipse tandem corruat.

CASUS III.

Petrus visitat Annam causâ matrimonii, quod meditatur contrahere, quam visitationem & Anna eo animo admittit; an & hac visitatio corollario meo involvenda?

R. Neutiquam: Sicut enim Medicus urgente necessitate, vel majoris boni utilitate invitante, seu ratione officii, castitatis terminos non censetur excedere, dum secretiora medetur corporis membra, quæ in certis circumstantiis necessaria sunt; sic justus finis matrimonii etiam præstare poterit, ut talis conversatio sit licita, modò nihil voluntariè admittatur contra castitatem, neque fiat aliquid ultrâ necessitatem.

Multi instituunt ejusmodi visitationes personarum imparis sexûs, quas & hæ admittunt, quibus animus non est ad matrimonium: has corollario meo, velint, nolint, involvi fateantur, necesse est. Deinde quàm multis est animus quidem ad matrimonium, sed libidinosus, ne dicam brutalis. Hisce timendum maximè, ne visitationibus ejusmodi non satis castè intersint.

Què se geret, qui conubii causâ quamdam filiam visitat? Item quomodo filia, quæ eo animo visitationem admittit?

R. 1. Animum advertant sedulò, quòd nemo possit esse continens, nisi Deus dederit, adeoque pro continentix dono adeundus sit Deus, & indefessè rogandus. 2. Ut visitationes, quoad fieri possit, breves sint, & raræ. 3. Ut visitationes illæ instituantur coram parentibus filix, & palàm,
non

non in solitudine, non in tenebris. 4. Suis utrimque parentibus mox significant animum suum, optentque per illos, quoad fieri potest, res ista potius agatur. Post hæc, ut eâ, quâ fas est indagare, in hoc collocatâ, connubium quàm citissimè maturent. Et denique altè pectori insculpant, quòd nulla matrimonii intentio, ne ipsa quidem sponsalia inter futuros conjuges, quascumque tum facti, tum verbi impudicitias, aut libidinosæ voluntatis motiones excusare valeant.

CASUS IV.

Caupo choreizantibus, ad cerevisiam ducentibus &c. ades suas, aut certum in iis locum concedit, admonetur à Confessario, quòd alienorum peccatorum fiat particeps, animo statuit omnes ad se venientes recipere, singulis & vinum, & cerevisiam promere, allegans, quòd familiam suam his, aliisve modis alere debeat. Queritur, an Confessarius licitè dicto cauponi impertiatur absolutionis beneficium?

R. Nequaquam: Paratus enim est cooperari alienis peccatis. Si enim S. Car. Borom. voluerit non absolvi illum, qui servaret domum suam paratam iis, qui illam frequentare solent gratiâ ludendi aleis, chartis &c. multò minùs ille absolvendus erit, qui suam choreizantibus paratam servat, vel actû in domum recipit.

§. 3. De Fornicatione.

Fornicatio simplex, quæ est concubitus soluti cum soluta, peccatum mortale est. Aliter docuerunt Nicolaitæ, quidam Rabbini, Anabapti-
stæ

stæ &c. *qua, qui faciunt, digni sunt morte. Ad Rom. 1. Neque fornicarii, neque idolis servientes &c. regnum Dei possidebunt. 1 Cor. 6.*

Fornicatio etiam jure naturæ est interdicta, quia dicit inordinationem gravem, cum sit omis- sio debiti ordinis, quæ jure, & instituto naturæ est necessaria in illo actu ad prolis complementum.

1. An concubinatus sit simplex fornicatio?

Notandum, quòd in fornicatione sint aliqui gradus; vel enim committitur cum femina determinata, quam quis velut ex consuetudi- ne cognoscit, sive illam domi habeat, sive non, & vocatur concubinatus: vel committi- tur cum meretricibus palam expositis, & est meretricium: vel cum aliis non expositis, & re- tinet nomen simplicis fornicationis.

2. Simplex concubinatus non differt specie à simplici fornicatione, licet addat actu cir- cumstantiam aggravantem, & necessariò ex- primendam, quia alia est conditio hominis ex infirmitate cadentis, alia ex destinata malitia.

2. An primâ vice concubinarius sit absolvendus, etiamsi concubinam non abjiciat?

3. Ordinariè primâ vice absolvendus non est, quia domi retinere concubinam, est amare occasionem proximam peccati. Verumtamen cum pœnitens numquam promiserit emen- dationem à tali delicto, nec propositum fregerit, conjectura certa sumi non potest semper, præsens propositum dimittendi esse fictitium, modò setiò promittat se quàm primùm di-
mis-

missurum; quia qui numquam emendationem est pollicitus, argui solum potest de continuatione sui peccati, non tamen de fracta fide; ergo si seriò proponat, & nihil obstet, correptum absolvat, adhibitâ cautelâ, ut, si reincidat, & non dimittat, revertatur. Aliter judicandum si bis, vel ter fidem fregerit.

C A S U S V.

Quid faciendū, dum pœnitens dicit: sum fornicatus?

R. 1. Inquirenda est personæ confitentis qualitas, & complicitis, an peccaverit cum virgine? An cum persona conjugata? &c. 2. An per vim, fraudem, & dolum virginem deceperit? 3. An non sit gravida? Si respondeat quòd non, interrogandum, unde hoc sciat? An fortè non impediverit conceptionem? Quod ordinariè variis fit modis. 4. An sæpiùs cum illa persona hoc peccatum commiserit? Et ita ex modo confitendi colliget confessarius, an consuetudinarius sic adscribendus catalogo, an relabentium, an ex fragilitate peccaverit, an ex malitia.

Regulæ dignoscendi peccata fragilitatis.

1. Si gravi illectus tentatione, vel improvisâ occasione circumventus peccato succubuerit.
2. Si media ad peccatum istud, in quod antè lapsus est, fugiendum, vel à confessario præscripta, vel aliunde sibi nota adhibere studuerit.
3. Si cum renitentia, & lucta adversus tentationem cadat.
4. Ut de peccato commisso non diu post doleat.

CA-

CASUS VI.

Famulus habitans cum ancilla, filius-familias cum consanguinea in eadem domo sæpius peccant, & sine gravi incommodo separari non possunt, quid remedi ipsi prescribendum?

R. 1. Ut eliciant efficac propositum numquam conversandi simul in tenebris, aut locis secretis. 2. Ne invicem fixis aspiciant oculis, aut manus premant. 3. Illis injungat aliquam oratiunculam, quæ singulis diebus renovet propositum. 4. Suadeat, ut sibi imponant aliquam pœnam toties, quoties reincident. 5. Eos hortetur, ut frequenter confiteantur, & communificent. 6. Assignet certum tempus, quo ad ipsum revertantur, nova accepturi remedia contra relapsum.

CASUS VII.

Quid faciendum cum publica meretrice, quæ indifferenter omnes ad se accedentes admiserit?

R. Ab ipsa petendum 1. Quas peccatorum species commiserit, an non contra naturam permittendo, quòd alii eam in præpostero cognoscerent. 2. An se, vel alios extra copulam non polluerit. 3. An habuerit rem cum conjugatis, cum voto castitatis Deo adstrictis &c. & quoties: si autem ob diuturnitatem, vel frequentiam præcisè numerum exprimere non posset, neque veri-similem; tunc debet exprimere consuetudinem, & tempus illius, & quoties benè in mense, in septimana, vel saltem in die, & tunc saltem aliquo modo confessarius conjecturare potest numerum. Si autem nec hoc sciret exprimere,
tunc

tunc peti debet locus, in quo se exposuit: An in magna, & populosa civitate &c. 4. An indifferenter omnes admiserit, sive fuerint conjugati, sive voto castitatis adstricti &c. 5. An esset in illa domo, in qua publicè meretrices, vel occultè, in illum finem, ut per usuram corporis lucrum acquirant, aluntur? Si dicat quòd ita, nullo modo est absolvenda, nisi domum priùs reliquerit, quia castitas vel maximè ibi periclitatur. 6. An juvenes, innocentes &c. ad peccatum non pellegerit?

CASUS VIII.

Quid faciendum cum illo, qui dicit: vixi in concubinato?

1. Petendum, num sit conjugatus, vel in sacris Ordinibus constitutus, an verò planè sit liber, etiam à voto simplici castitatis? Item an ipsius concubina sit libera, an consanguinea? &c. Quia tunc est circumstantia mutans speciem. 2. Quanto tempore vixerit in concubinato, & quænam peccata cum illa commiserit, quoties in septimana eam cognoverit &c. an non commiserit alias fœditates &c. 3. An non dederit ipsi potum sterilitatis, vel alio modo impediverit, ne prolem ex ea conciperet, & an prolem animatam per medicamenta directè non expulerit &c. 4. An concubina habitet in ipsius domo, vel non: si in eadem domo secum habitet, ordinariè non absolvendus, antequam eam ejiciat cum proposito non admittendi.

Quid si dicat, quòd non possit eam ejicere, nisi magno cum scandalo aliorum, vel sui gravi incommodo?

ꝛ. Quòd

R. Quod grave incommodum postponendum sit salutis animæ suæ. Ordo charitatis postulat, bonum conscientia præferendum esse famæ. Cæterum vix, aut raro amitti potest fama ob concubinæ expulsionem: nam vel concubinatum cognoscunt vicini, & tunc ejiciendo concubinam, nullum famæ detrimentum patietur, sed potius bonam famam acquireret: vel concubinatum ignorant, & tunc quamvis ejiciatur concubina, nulla sequetur infamia magis, quam si ejiciat aliam feminam.

Quid si incurrat concubinarium jacturam notabilem bonorum temporalium?

R. Si maneat morale relabendi periculum per cohabitationem, nec illud periculum tolli possit, amittendum potius temporale, ut salutis animæ suæ possit consulere.

§. 4. De Stupro.

STuprum dupliciter accipi potest: 1. Generaliter, & improprie, & sic significat illicitum congressum. 2. Accipitur strictè, & definiri solet: *Illicita Virginis defloratio sub cura parentis existentis.*

1. An stuprum distinguatur specie à simplici fornicatione? Notandum, certum esse, quod sit circumstantia in confessione exprimenda, si quis virginem primus violaverit.
- R. Cum communi, & probabiliori sententia, stuprum, etiam sine raptu, & violentia, esse specie distinctum à simplici fornicatione.

Prob,

Prob. Per stuprum puellæ amittunt eam corporis integritatem, quæ tamquam naturale donum illis erat data, ut vel usque ad matrimonium eam conservarent, vel usque ad mortem, & cujus amittendæ metu virgines naturaliter absterrentur à fornicatione: quapropter hæc integritate semel amissâ, tum à legitimo, & utili matrimonio impediuntur per se loquendo, tum in periculo, & via meretricandi constituuntur. Quæ omnia simul sumpta important deformitatem, quam non continet simplex fornicatio.

Nec refert, quòd parentes & virgo consenserint, quia tam stuprator, quàm puella peccant contra naturalem rerum ordinem, secundùm quem illa corporis integritas, quæ est in virgine, debet inviolata servari, saltem usque ad matrimonium. Ad quid teneatur stuprator virginis, vide infrà tractatu de restitutione.

§. 5. De Adulterio.

Adulterium est, *alieni thori violatio*: unde requiritur, ut uterque, vel alter sit junctus Matrimonio; nam circumstantia matrimonii in viro, vel in fœmina facit, ut actus luxuriæ dicatur adulterium, ideoque præter deformitatem fornicationi communem, quæ in eo consistit, quòd aliquis commisceatur mulieri non sibi junctæ per matrimonium, reperitur hîc & altera consistens in hoc, quòd commisceatur ei personæ, quæ est alteri junctæ matrimonio.

Adulterium tribus modis potest committi.

E

1. Ex

1. Ex parte viri tantum. 2. Ex parte femine tantum. 3. Ex parte utriusque.

Si primo modo fiat, ut si conjugatus solutæ copuletur, erit quidem grave peccatum mortale, minus tamen, quàm si conjugata soluto. Ratio est, quia longè magis repugnat juri naturæ, ut una femina jungatur duobus viris, quàm ut unus vir duabus feminis. Unde etiam si hoc fuerit aliquando concessum, ut Patribus veteris testamenti, qui habebant plures uxores, illud tamen nunquam, quia magis repugnat, quòd mulier plures habeat viros. 1. Quia una mulier pluribus viris satisfacere nequit, quin ordinariè impediatur generatio, quæ est finis istius conjunctionis. 2. Quia etsi interdum fortè generatio non impediatur, tamen erit contra certitudinem proles, nam incertum erit, utri sit assignanda proles, marito, an adultero, quod est contra bonam proles educationem, quæ maximè paternâ curâ indiget. 3. Quia fit specialis injuria marito, dum ei aliena proles supponitur, aut constituit se in periculo id faciendi. 4. Fit injuria proli legitimæ, adducto à matre in petitionem hæreditatis extraneo. Hæc incommoda non sequuntur ex adulterio viri cum soluta. Gravissimum autem erit, si tertio modo fiat, utroque conjugii vinculis adstricto. Tunc enim in illo actu est duplex injuria moralis, nam duorum matrimoniorum jura violantur, & duobus conjugibus injuria irrogatur. Unde eo casu circumstantia illa in Confessione explicanda est; quia licet sit eadem species peccati, non est tamen
idem

idem numerus malitiarum. Collige, gravitatem adulterii consistere in eo, quòd, præter libidinis turpitudinem, habeat enormem in proximum injuriam, imò in Sacramentum matrimonii, & in fidem, civilemque societatem. Ad quid teneatur adulter sequutà prole, vide infra de restitutione.

§. 6. *De inceſtu.*

Inceſtus est, *Congressus cum consanguinea, vel affine intra gradus prohibitos, in quibus non potest celebrari matrimonium.* Tales sunt omnes gradus consanguinitatis, & affinitatis ex matrimonio contracti usque ad quartum gradum; ex fornicatione autem usque ad secundum. Unde qui copulam habet cum persona descendente ab eodem stipite, à quo ipse descendit, usque ad quartum gradum, committit inceſtum propter consanguinitatem; si verò rem quis habet cum consanguineis uxoris suæ usque ad quartum gradum, inceſtum etiam committit, propter affinitatem ex matrimonio consummato ortam: similiter si quis copulam illicitam habet cum Berta, contrahit affinitatem cum consanguineis Bertæ usque ad 2. gradum, & committit inceſtum, quia ex copula illicita inducitur affinitas impediens, & dirimens matrimonium usque ad secundum gradum. Constat ex Trid. Sess. 24. c. 4.

1. An gradus cognationis legalis, quæ nascitur ex adoptione, & cognationis spiritualis, quæ ex Baptismo, & Confirmatione, propriè ad hoc vitium pertineant?

E 2

2. Pro-

R. Propriè loquendo non : quia sunt vincula magis spiritualia, nec faciunt conjunctionem carnis, & sanguinis, sicut consanguinitas, & affinitas. Negari tamen non potest, quin violatio talis cognationis per actum luxuriæ habeat specialem deformitatem, cum illa cognatio constituat impedimentum dirimens: undè talis actus poterit etiam dici incestus, extenso vocabulo, quia fit cum persona, cui ratione istius conjunctionis specialis debebatur reverentia in ista materia: nec est aliud nomen, quod ei meliùs conveniat, si cognatio sit ex adoptione: si verò sit ex Sacramento, rectiùs refertur ad Sacrilegium.

2. In quo consistit gravitas, & malitia hujus peccati?

R. In eo, quia importat aliquid specialiter repugnans commixtioni veneræ propter tres rationes.

1. Quia est contra reverentiam, & honorem debitum in hoc genere actuum, consanguinitati, vel affinitati.

2. Quia personas sanguine conjunctas necesse est simul conversari, unde si tales homines non arcerentur à commixtione veneræ, animi valdè emollescerent per luxuriam.

3. Quia per hoc impediretur multiplicatio amicorum: dum enim homo uxorem extraneam accipit, junguntur simul quâdam speciali amicitia omnes consanguinei uxoris, ac si forent consanguinei sui.

3. Suffi-

3. Sufficit in Confessione dicere: commisi in-
cestum?
 4. Neg. Sed oportet exprimere gradum con-
sanguinitatis; quò enim gradus propinquior
est stipiti, eò enormius est peccatum.

C A S U S IX.

*Quid faciendum cum pœnitente, qui dicit: com-
misi incestum?*

1. Inquirendum est, an peccaverit cum affi-
nibus, an cum consanguineis? Licet enim pro-
babilis sit sententia D. Thomæ 2. 2. q. 15. in-
cestum cum consanguineis non differre ab
incestu cum affinibus, cum in his eadem spe-
cifica difformitas reperiatur, tamen notabili-
ter gravius est peccatum incestus cum con-
sanguineis carnalibus, quàm cum affinibus. Si
dicat, se peccasse cum consanguinea carnali,
 2. Petendum, in quo gradu sit ipsi conjuncta
propter rationem 3. petitione allatam.

*Sed quid si gradum consanguinitatis non possit
exprimere, nisi Confessarius deveniat in cogni-
tionem complicis? V. G. Si frater sororem, filius
matrem cognoverit?*

2. Pœnitentem debere in illo casu alium Con-
fessarium, qui ipsum, vel complicem non
novit, si fieri possit commodè, accedere, quia
tunc sine necessitate complicem infamaret.
Hinc si casus contingeret in aliquo pago, in
quo est tantum unus Pastor, tenetur pœnitens
ire ad Parochum alterius pagi, licet quinque
horis distaret. Si autem commodè propter

mortem verisimiliter instantem alium Confessarium adire non posset, teneretur peccatum exprimere cum manifestatione complicis. Ita tenet verior, & communior sententia, quam passim omnes DD. in Scholis Lovanensibus docuerunt, & etiamnum docent.

Ratio à priori est voluntas Christi sic instituentis hoc Sacramentum pœnitentiæ. A posteriori est, quia eo ipso, quo quis peccat, cedit juri, quod habet ad famam. De hoc alibi. Insuper quærendum, an in cœstus sit conjugatus, ut supra de peccatis carnalibus dixi.

Notet benè Confessarius, quòd ille, qui cum aliqua sponsalia contraxit, & postea cognosceret Sororem, Matrem, vel filiam suæ sponsæ de futuro, verum committeret in cœstum, quia talis copula prohibita est per Ecclesiam propter reverentiam conjunctionis debitam, propter quam inter ipsum, & illas constituit Ecclesia impedimentum dirimens matrimonium, scilicet honestatis, seu justitiæ publicæ honestatis; & talis pœnitens postea nec cum sponsa, cum qua jam affinitatem contraxit in primo gradu per copulam cum ejus sorore, nec cum sorore sponsæ posset contrahere sinè dispensatione.

§. 6. De Raptu.

Raptus est peccatum luxuriæ, quo persona aliqua abducitur cum violentia ad actum turpem cum ea exercendam.

Nota.

Nota, quòd tria requirantur ad raptum. 1. Vis illata. 2. Abductio. 3. Ut fiat causâ concubitûs.

Dicitur quo *Persona aliqua*, non necessariò femina, non virgo, quia sive sit masculus, sive femina &c. si violentè abducantur, verus erit raptus tantò gravior, quantò ad gravius peccatum exercendum committitur. In definitione dicitur: *Ad actum turpem*; si enim abducatur ad alium finem, V. G. redigendi in servitutem, dicitur plagium, & erit furtum hominis.

1. An sit raptus, si sponsus, eam, quæ sibi desponsata est per verba de futuro, volentem abducatur, reclamantibus Parentibus?

R. Non esse raptum, si abducatur ad matrimonium juxta præscriptum Ecclesiæ perficiendum. Ita in Capitulo: *cum causa. tit. de raptoribus declaratum est: Raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum, & priùs eam desponsaverit, quàm cognoverit, licèt parentes reclamarent, à quibus eam dicitur rapuisse.*

2. Quæ sunt pœnæ raptoris?

R. Inter cæteras à Concilio Trid. statuuntur tres: 1. Ut raptor, & omnes consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, perpetuò infames, & omnium dignitatum incapaces. 2. Ut raptor, sive matrimonium contrahat, sive non, teneatur ad decenter dotandum raptam arbitrio judicis. 3. Inter raptorem & raptam declarat Trid. matrimonium nullum, quàm diu rapta manet in potestate raptoris.

3. Quid si rapta non solum consentiat liberè in matrimonium, verum etiam nolit poni in alio loco tuto, & omninò extra potestatem raptoris, an tunc saltem possit validè contrahere cum raptore?
4. Probabilius neg. Quia hæc conditio, ut sit extra potestatem raptoris, essentialiter requiritur à Con. Trid. quæ non deficit in casu particulari.

§. 7. *De Peccato contra naturam.*

Peccatum strictè contra naturam dicitur illud, quod est contra ordinem, quem natura etiam in ceteris animantibus requirit, quia scilicet ordo, à natura requisitus in carnali copula, deficit. Cùm ergò hic ordo ita pervertitur, ut conceptio fieri nequeat, dicitur propriè peccatum contra naturam.

Natura autem actûs veneri, ut ex eo possit fieri conceptio prolis ejusdem speciei, postulat quinque: 1. Conjunctionem duorum. 2. Eandem naturam in utroque. 3. Sexum diversum. 4. Instrumenta naturalia utriusque sexûs ad generationem ordinata. 5. Debitum modum. Hinc fit, ut quinque modis possit esse peccatum contra naturam in materia luxuriæ.

1. Si queratur voluptas carnalis per sui corruptionem absque conjunctione; hoc vocatur mollities, vel pollutio.

2. Si queratur in conjunctione cum re alterius naturæ V. G. cum bruto, & vocatur bestialitas.

3. Si

3. Si in eodem sexu, ut si mas cum mare, femina cum femina, & vocatur Sodomia.

4. Si in diverso sexu ejusdem speciei, sed non in congruo vase, vel instrumento naturali.

5. Si conjunctio quo ad sexum, & instrumenta sit naturalis, sed inordinatio sit in modo, ut si virum mulier supergrediatur, sine periculo effusionis seminis; si vir cognoscat uxorem modis insolitis &c. Hi reductivè pertinent ad quartam speciem.

Notate, quòd ad speciem bestialitatis pertineat concubitus cum dæmone, quando in assumpto corpore fit incubus, vel succubus, sive assumat corpus bestię, sive viri, sive mulieris: tamen alio respectu hic concubitus differt à bestialitate specie, ratione superstitionis illius, ad quam spectat societas cum dæmone.

C A S U S X.

Quid agendum cum illo, qui dicit: habui pollutionem?

R. 1. Est inquirendus numerus, & qualitas personæ? An simul cum desiderio pollutionis non habuerit desiderium copulæ, vel attractus impudici, & cujus feminae an conjugatæ, an consanguineæ &c. 2. Si deprehendatur pœnitens laborare consuetudine iterandi hoc peccatum, cum eo procedendum, ut infra de consuetudinariis docebitur.

Si pœnitens dicat, se passum fuisse pollutiones de nocte, inquirendum est modo supra dicto, an non fuerint voluntariæ in causa; si dicat, quòd

E 5

non,

non, petendum est, an manè, quando evigilaverit, vel in ipso seminis fluxu, si ex violentia vigilet, se voluntariè non delectarit, si dicat, se dubitare, inspice regulas, datas fol. 42. & judicare poteris, an peccaverit.

§. 8. *De Abortu.*

PEccata carnalia sæpè sequitur abortus, quem procurant vel fornicarii, vel parentes &c. metuentes magis infamiam mundi, quàm offensionem Dei, ac propterea hæc materia cæteris paragraphis adjungenda.

Abortus itaque est, *ejectio fœtus immaturi.* Potest autem fœtus immaturè ejici, vel ante animationem, vel post; & quidem si sit fœtus animatus, conveniunt, numquàm licere directè procurare ejus abortum, cùm id sit directè vitam innocentis auferre.

1. Estne licitum ad conservationem matris præbere medicinam directè causativam abortus nondum animati?
2. Id numquàm licere, sive ante, sive post fœtus animationem.

Probatum: illicitum est pollutionem procurare directè; ergò & abortum. Prob. conseq. Ideò illicitum est directè procurare pollutionem, etiam ad sanitatem recuperandam, quia effusio seminis est contra finem generationis, ad quam illud est per se à natura ordinatum; atqui immediatus, & proximus ad generationem finis est ordinatus fœtus; ergo si non licet illam,

illam, nequè hunc licebit propter sanitatem recuperandam. Deindè opposita sententia portam aperit stupris, spe per abortum illa occultandi, quem sexcentis modis lascivorum juvenum, perdirarumque mulierum excogitat audacia, vel libido.

2. An liceat prægnavanti cum periculo prolis animatæ dare pharmaca, quæ directè, & per se tendunt ad sanitatem causandam, & quæ sunt necessaria ad conservationem vitæ matris cum periculo abortûs?

R. Probabilius aff. Quia actiones humanæ speciem sumunt ex intentione operantis, non autem ex effectu per accidens, & non pro certo subsequuto, sed principalis intentio in his medicamentis fertur in sanitatem matris, abortus autem per accidens, & præter intentionem accidit.

Deindè invadente ferâ, matrem fugientem cum fœtûs periculo nemo damnaret.

3. An liceat uti medicamento tam mortifero ex se proli, quàm sanativo matri?

R. Hoc non videri licitum: quia numquàm licet directè agere ad occisionem innocentis; præbere autem medicamentum ex se mortiferum proli, est directè agere ad occisionem prolis.

Aliud foret, si medicamentum foret dubium, an auxilium, an mortem potius se allaturum.

4. Quid si adsit spes probabilis fœtûs in lucem pro-

prodeundi, an tenetur mater ab illis medicamentis abstinere?

R. Aff. Et mater peccabit mortaliter medicamenta similia sumendo: quia præceptum charitatis matrem obligat ad præferendam vitam suam corporali vitam spiritualem prolis maximè indigentis, & non baptizatæ.

5. An liceat impedire conceptionem ad infamiam vitandam puellæ V. G. nobilis?

R. Id nullo modo est licitum. 1. Quia est contra ordinem naturæ; nam semen, & copula sunt instituta à natura ad prolis generationem, & proinde ad conceptionem fœtus. 2. Quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona. 3. Sibi imputet femina, quæ sponte sua peccavit, vel peccati socius.

6. Quæ sunt pœnæ procurantium abortum?

R. Qui procurat abortum fœtus animati, effectu scilicet secuto, incurrit excommunicationem latæ sententiæ à Sixto V. decretam, & fit irregularis. Similiter illi, qui operam, consilium, aut favorem sivè scribendo &c. consulerunt: ab hac excommunicatione nemo Confessarius potest absolvere, nisi specialiter depuratus.

C A S U S XI.

Quid faciendum Confessario cum illâ feminâ, vel juvene, qui diceret: procuravi abortum?

Petendum, an procuraverit abortum fœtu animato, vel non. Si animato; judicandum est illum verum commisisse homicidium, & tantò gravius peccasse, quantò certius non solùm corpus, sed

sed & animam ejus occidit, undè incurrit irregularitatem. Quando autem fœtus animetur, non scitur certò: Fromondus de anima lib. 2. c. 6. cum Hypocrate putat, masculum triginta diebus longissimè, tardissimè quadraginta diebus à conceptione formari, sed non est certum.

Si autem fœtu non animato procuraverit directè abortum, insinuanda gravitas istius peccati, ob quod mulieres &c. in Concilio Ancyrano cap. 21. usque ad exitum vitæ ab Ecclesia removebantur. Inculcanda fortiter S. Augustini sententia: *Mulier autem quacumque fecerit hoc, (quocumque prætextu, sive conservandæ famæ ergò, sive mortis evitandæ) quòd iam non possit concipere, quotiescumque parere poterat, tantorum homicidiorum ream se esse cognoscat.* Sermon. 244. de temp.

CASUS XII.

Quid agendum cum illo, qui dicit: commisi peccatum sodomiticum?

R. Quærendum 1. Quoties nefandum illud crimen commiserit? 2. An cum masculo, an cum femina præposteram libidinem exercuerit? Majus enim peccatum est masculi cum masculo, quia diversus non intercedit sexus. 3. An sit persona conjugata, cum tunc præter malitiam contra castitatem, etiam contrahat malitiam contra justitiam. Vel an sit voto castitatis obstricta, vel affinis, aut cognata intra primum, aut saltem secundum gradum propter majorem difformitatem, quæ reperitur in isto actu venereo? 4. An non vio-

violenter oppresserit similes? &c. §. An in peccato illo fuerit agens, vel patiens, quia in agente intervenit pollutio propria, quæ non intervenit ex parte patientis.

Deinde ipsis ob oculos ponendum est, quàm gravi odio in istud nefandum scelus feratur Deus, qui ob istud Sodomam & Gomorrhæam delevit in cineres. Proponenda pœna, quam statuit Pius V. in extravagante, ubi ita statuit: *Omnes quoscumque Presbyteros, & alios Laicos, tam regulares, quàm seculares, cujuscumque gradûs, aut dignitatis, tam dirum nefas (Sodomix) exercentes, omni privilegio clericali, omni beneficio, & officio ecclesiastico, & dignitate presentis canonis auctoritate privamus, utque per judicem ecclesiasticum degradati, potestati seculari tradantur.* Deinde jure civili pœna capitis imponitur. Jure canonico laici excommunicantur, & ex cœtu fidelium separantur, usque ad condignam pœnitentiam.

Quo ad illos qui commiserunt peccatum bestialitatis, solùm inquirendum est, qualis fuerit persona, & quoties illud peccatum commiserit, ob jam dicta: non debet explicare qualis fuerit bestia, an equus, an vacca, an cum masculo, vel femella peccaverit, an in vase recipiendo semini à natura ordinato, vel non, (nisi interveniat notabilis difformitas, quam cognoscere non potest Confessarius) quia illa non variantur specie, nec malitiam notabiliter aggravant, nisi ex coitumatum sit prodite monstra, & bestialitas Sodomix misceatur.